

PROLOGVS

- Nequoi sit vostrum mirum quor partis seni
poeta dederit quae sunt adulescentium,
id primum dicam, deinde quod veni eloquar.
ex integra Graeca integram comoediam
5 hodie sum acturus H[e]auton timorumenon, 5
duplex quae ex argumento facta est simplici.
novam esse ostendi et quae esset : nunc qui scripserit
et quonia Graeca sit, ni partem maxumam
existumarem scire vostrum, id dicerem.
10 nunc quã ob rem has partis didicerim paucis dabo. 10
oratorem esse voluit me, non prologum :
vostrum iudicium fecit ; me actorem dedit.
sed hic actor tantum poterit a facundia
quantum ille potuit cogitare commode
15 qui orationem hanc scripsit quam dicturu' sum ? 15
nam quod rumores distulerunt malevoli
multas contaminasse Graecas, dum facit
paucas Latinas : factum id esse hic non negat
neque se pigere et deinde facturum autumat.
20 habet bonorum exemplum quo exemplo sibi 20
licere [id] facere quod illi fecerunt putat.
tum quod malevolu' vetu' poeta dictitat
repente ad studium hunc se adplicasse musicum,